



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Antonii Sanderi Presbyteri, S. Th. Licentiati Hagiologivm
Flandriae Sive De Sanctis eius Prouinciae Liber vnus**

Sanderus, Antoine

Antverpiae, 1625

Goswinvs Aquiscincti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10172

viris Gualtero Montigniæ & Sigero Corcellæ Dominis anno 1079. fuit ædificatum. Vbi etiam vitam secuti meliorem se suaque omnia Deo consecrarunt. Huic autem Monasterio variæ collatæ sunt reliquiæ potissimum à Watino Archiepiscopo Thessalonicensi, quam donationem sigillo suo confirmavit anno 1239. & à Roberto Juniore Comite Flandriæ inter eas autem reliquias recensentur brachium S. Georgij, pes alter S. Marthæ, & annulus quo traditur Deipara virgo Iosepho desponsata; eundem locum in suo exilio per aliquot dies decoravit B. Thomas Cantuariensis Episcopus.

GVIVINA VIRGO

Virgo Flandrica fuit & vitam Eremiticam Brugis 8. Dec. apud Quercetum, vulgo ten Eeuchoute, egit; postea Bigardas locum quietiorem eligit, vbi claret miraculis; colitur 14. Kal. Ianuarij.

GODEHARDVS.

Fuit Episcopus Hildeshemensis & à Molano in Indi- 5. Maij. ce Sanctorum nomē eius ponitur ad diem quartum Maij Arnekæ in occidentali Flandria non procul à Castello celebris eius est memoria.

GOSWINVS

Aquiscincti.

Fuit septimus Abbas Aquiscinctinus. Is parentibus 9. Oct. relictis vir summæ humilitatis Aquiscincti Monasticam vitam est professus. Vbi in matura ætate cantum

P 2

cum

cum pueris discere non erubuit, cumque in sacrificio in sæ cæco lumen restitisset: prohibuit se ob hoc miraculum laudari quia etiam Deus per multa animalia miracula edit, statim factus est primarius prior, & Aluise ad sedem Atrebatensem adsumpto omnium suffragijs Abbas successit; Tunc orationes preces chori, silentium, mensæ dormitorij, & vt paucis dicam omnium communitatem summè amauit regulares hospites in conuentu reficiebat, sæculares ab officinis conuentus longè remouebat. Euocatus à præfule Remensi, vnico comite facellano iter perfecit, & nummus quæ vnicum habebat pauperi datus, statim alterum in marsupio diuinitus lucrabatur, ita vt non defecerit ei nummus pauperibus largiendus, donec Rhemis esset; quod miraculum, historiæ scriptor, audiuit etiam ex ipso Goswino. Interfuit Remensi consilio in decrepita ætate. Vocatus ob pietatis & doctrinæ famam ab Eugenio Tertio qui ei quotidie de suis ferculis mittebat. Denique Petrus Remorum præsul audiens sanctum Abbatem graui morbo adfectum esse, statim nuntium misit Aquiscinctum vt tanti patris benedictionem acciperet. Cui Alexander B. Goswini successor beati viri emigrationem rescripsit propter singularem autem sanctitatem multis eius successoribus dictum est. Accipe baculum Abbatis Goswini, vt cuius suscipis officium imiteris exemplum. Institutus fuit Abbas anno 1137. Obijt 1166. Ita Molanus.

G V R D I N E L L V S

Duaci.

16. Oct. **O**fficium commune habet Duaci ad S. Amatum. Hunc quidam asserunt esse eundem cum S. Gordano,